

1520 primis Julij

Ex Arch. Cap. Plocen.

769

Litteræ Sigismundi Regis Polonia ad exactores, de non exigendis contributionibus ex agris advocatiarum per capitulum Plocense exemptis.

194

Sigismundus Dei gratia Rex Polonia, magnus
Dux Lithuania, Russia, Prussiaeque etc: dominus
et haeres, generoso Andree Osnyczky castellano Raczycanschemsi et exactori terre Plocensi fidele dilecto,
ac alteri cuiunque eiusdem terre exactori pro tempore
existenti, gratiam regiam. Generose fidelis dilecte.
Significarunt nobis venerabiles prelati et canonici
ecclesie cathedralis Plocensis, quod tua fidelitas ex
agris, qui quondam erant advocatorum, villas ipsorum
prestimoniales inhabitantium, quos iam exemerunt,
eorumque agros advocatiales, praedius earundem villarum
suarum prestimonialium, annexerunt et incorporaverunt,
fertones in proximè preterito conventu Thorenensi decem
centos receperit. Quia vero nobis à consiliariis nostris
hic ad presens nobiscum existentibus, consentaneum
et aequum est visum, ut postquam agri praedicti iam ad-
vocatiales esse desierunt, sed sunt adiuncti agris praedia-
libus villarum prestimonialium capituli Plocensis, de-
beant ab ipsis fertonibus publicis, immunes esse et liberi.
Volumusque et mandamus tuae fidelitati, ut eisdem fer-
tones ex praedictis agris advocatialibus, ab ipsis prelatiis
et canonicis Plocansibus, deinceps non exigat, nec exigi
faiat, sive hi ipsi prelati et canonici eosdem agros col-
lant, vel aliis ad colendum locent, cum forsam soli, vel
illorum factores eos commode colere nequeant. Sic et
non aliter factura tua fidelitas pro gratia nostra. Datum
Thorenij feria tertia proxima post festum visitationis
gloriosissime virginis Mariae. Anno Domini millesimo
quingenta:

quingentesimo vigesimo. Regni nostri quatuordecimo.

Ad mandatum Re-
giae majestatis pro-
prium